

1487 decem annos est urbe ablegatus. Sebastianus Badovarius & Bernardus Bembus non multo post ad Pontificem oratores sunt electi, cum quo Veneti post Lauretanum revocatum, Antonio Vinciguerra secretario rem Venetam apud illum interim jussu Patrum procurante, fœdus percusserunt. Per eos ferme dies quibus id fœdus est publicatum, imperium maris Francisco Privolo est demandatum. Is sub vernum tempus, publicis signis in æde aurea manu Principis acceptis, urbe est profectus. Præcessarant ejus digressum triremes aliquot ad maritimæ oræ presidium instructæ; nonnullæ etiam postea illum secutæ sunt. Hæc erat tum Patribus rei maritimæ cura, quum inopinatum ex Germania bellum ob finium contentionem est Venetis exortum; de cuius initio & successu quum certius nobis omnia constabunt, abunde dicemus.

F I N I S.